

- bus et edificabant turre alias et domos intrinsecus, nobis quidem contradicentibus, sed subsistere non valentibus. Totum tempus illud, totum annum illum ego memorans quid de me ipso censeam? Qualem me tempestas illa invenit? Qualem me ipsum mihi ostendit? Nimirum nisi suggereret
- 5 paracletus inter cetera illud quoque, quod salvator dicit nobis: *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit et sicut lucerna fulgoris illuminabit te*¹⁾, hodie plus nimio timerem, quia in verbis forsitan modum excessi et minime moderatus sum vehementiam doloris acerrimi. Summam scire vultis? Ego tantillus tam magni ducis
- 10 Iosue partim exemplo uti non dubitavi, qui loquens in spiritu Dei dura imprecatus est illi, qui reedificaret muros Iericho²⁾ (cuius^{c)} supra memini). Sed unde scire possim hoc pertinuisse ad exemplum illius, cuius tota imprecatio quam iusta tam et mystica fuit? Idcirco cum exacerbatus dicerem: „Fiat illis secundum imprecationem Iosue, qui
- 15 taliter edificando pene obsident nos et non sinunt quietos vivere!“ , lingua quidem satisfecit irę non iniuste, sed mens non omnino privata est dilectione, quin intus adhuc viveret saltem uti solet inter obrutos cineres scintilla igniculi tenuiter ardoris sui vim aliquantulam retinere. Fuerit ergo ira illa mihi quasi festuca in oculo³⁾. Nunquid vero raro
- 20 contigit aut nobis tantum vel similibus nostri accidit perpeti irruentem in oculum festucam eiusmodi, quam quispiam etiam malevolus reprehendere possit trabem non considerans, que in oculo ipsius est propter hoc ipsum, quia malevolus vel invidus est? Immo vero persepe contingit, ut gravius offendantur hi, qui suaviorem habent dilectionem Dei et
- 25 per exacerbationem longe diversi fiant vel appareant a semetipsis, propter quod et inspector tenerrimi cordis eorum Dominus dicit eis: *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei*⁴⁾. Exempli gratia: Nonne Moyses (sicut dicit scriptura) *mitissimus erat omnium hominum, qui morabantur in terra*?⁵⁾ Attamen exacerbari potuit et oculus eius turbatus est a furore propter duritiam cervicis subditi sibi populi, quod
- 30 optime sentiens psalmista dicit: *Et vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbaverunt spiritum eius, et distinxit in labiis suis*⁶⁾. Quomodo, inquis, distinxit in labiis suis? Videlicet loquendo alio modo quam solitus esset. Dixit enim: *Audite rebelles et increduli! Num poterimus*
- 35 *vobis aquam de hac petra eiicere?*⁷⁾ Non ergo nos infimi dum interdum

b) subsistere J c) cuius bis Ende c. 17 fehlt J

¹⁾ Luc. 11, 34. 36 ²⁾ Jos. 6, 26; s. o. c. 10 ³⁾ Vgl. Matth. 7, 3—4; Luc. 6, 41—42 ⁴⁾ Zach. 2, 8 ⁵⁾ Num. 12, 3 ⁶⁾ Ps. 105, 32—33
⁷⁾ Num. 20, 10